



6. 263

M. 2,741. 2744.

2. Iust. Martin Glaesneri diatribe philolog. de R. Simeone, filio Joachi,  
auctore libri Sohar, in qua Schoettgenii dissertatio de eodem exami-  
natur, Hildes. 1736.



Volumen Supplementorum Scriptorum  
minor. B. Christ. Schottgenii  
varii argumenti.

---

1) Dissert. de Jure publico Reipubl. Romane  
Stargard. 1726.

2) progr. ad audiend. orat. de artibus paucis  
Dresd. 1741.

3) progr. Historia terre Pilsnensis Dresd.

1739.  
3) Libri cum tablo Planorum H. G. F. Grodosi  
Ostalbini Missionarii ad Vraungbar  
Jahr 1742.

4) Progr. ad audiendas orato. in schola Curian.  
Dresd. 1744.

5) G. C. K. Originum Attentatistarum Vol. 1.  
ad Caput bonae spei 1897.

(Seu progr. II. Schottgenianum de Burgrau.  
Dohnenibus, cui ioci causa a B. Kreysigio  
iste titulus praefitus est.)

6) Jac. Dr. R. Pfeifferi pseusticis signis  
Das Christus au einer Mittelrath Quadrina  
au neuen Fürgibay gründen und eingeschafft  
und einer Nomine Efür. Pfeiffers Enßl. 1746.

7) Historisch Raufricht von Erbstd. Nagelffrym  
1. Tebblitrag Dresd. 1751.

---



F.

DISSERTATIO ANTIQUARIA  
De  
**JURÉ PUBLICO**  
**REIP. ROMANÆ,**

Quam.

Sub Auspiciis divinis,  
PRÆSIDE  
**CHRISTIANO SCHOETTGENIO,**  
RECTORE & PROF. PUBL. NEC NON SOCIETA-  
TIS REGIÆ SCIENTIARUM COLLEGA,

In Auditorio Collegii Grœningiani,

D. 20. Septembris. MDCXXVI.

Hora X. ante merid.

*tuebitur*

**BALTHASAR OTTO FLESCHE,**  
Stargardiensis,  
AUCTOR & RESPONDENS.

---

*STARGARDIÆ,*  
Typis JOHANNIS TILLERI, Typogr. Reg.

DISSERETATO MIRO TU MIGARIA  
Prænobilissimo, Amplissimo ac Consultissimo  
DOMINO  
**TOBIÆ FRIDERICO**  
**VHLIO,**

Serenissimo Borussiæ Regi in rerum bellicarum  
& ad patrimonium Regium spectantium Collegio, ut  
& redditum publicorum administratione a Con-  
siliis, ac Negotiorum Reipublicæ Sedinensis  
Commissario,

Fautori atque Adfini suo summopere  
suspiciendo



Hec Studiorum suorum rudimenta  
Sacra esse voluit

B.O.FLESCHE.



## PRÆFATIO PRÆSIDIS.

**J**us omne vel privatum est, vel publicum. Publicum, quod ad statum totius reipublicæ spectat. Privatum, quod ad singulorum utilitatem pertinet, docente Justiniano §. 4. Inst. de Justitia & Jure. Publicum rursus est vel universale, vel particolare, vel singulare. Istud generalia præcepta tradit, ad statum publicum omnium rerum publicarum pertinentia: illud unius tantum imperii aut reipublicæ fines & jura tradit. Hoc denique singularum urbium jura publica pertractat.

§. 2. Ad Romanam ergo Rempublicam quod spectat, & illa Jus suum habuit publicum. Rempublicam vero dum dicimus, Romanam tantum liberam indigitamus, non illam, quæ per annos CCXLIV. sub Regibus septem fuit, nec eam, quæ post tempora Julii Cæsaris sub Imperatoribus partim floruit, partim servivit, sed quæ a vindicata per Brutum & Collatinum libertate usque ad bellum civile Cæsaris & Pompeji totum fere terrarum orbem viætricibus armis subjugavit. Illa, inquam, Respublica Romana Jus suum publicum habuit.

§. 3. Neque denominatio hæc *Juris Publici* priscis Romanorum Jureconsultis fuit incognita. Nam quamvis opera illorum, qui temporibus Reipublicæ liberae de jure scripserunt, injuria temporum interierint, unus tamen Cicero instar omnium nobis erit, in cuius scriptis *Juris publici* aliquoties mentionem fieri deprehendimus. In oratione, quam pro domo sua, apud Pontifices habuit, quæ actio non ad causam aliquam privatam, sed publicam pertinebat, aliquoties ad illud provocat. Sic cap. 13. *Nego potuisse jure publico, legibus iis, quibus haec civitas utitur, quenquam cruem ulla ejusmodi calamitate affi sine judicio.* Et paulo post: *dico apud Pontifices, augures adjunt: versor in medio jure publico.* Postea c. 49. *Neque ego nunc de religione, sed de bonis omnium nostrum, nec de Pontificio, sed de jure publico disputo.* Tandem cap. 53. *Sed ut revertar ad jus publicum dedicandi,* (domum

mum scilicet privatam Diis dedicandi) quod ipsi Pontifices semper non solum ad suas ceremonias, sed etiam ad populi iussa accommodaverunt. Porro idem Cicero ad Plancium haec scribit Famili. 4. 14. Videbam quanto periculo de jure publico disceptaretur armis. Nimis belum civile, quo forma reipublicæ demum immutata est, concertatio erat de jure publico, quod Pompejus immotum, Cæsar vero immutatum esse voluit. In oratione pro Milone c. 26. C. Pompejum vocat juris publici, moris majorum, rei denique publicæ peritissimum. De Haruspicum responsis c. 7. Nego esse ullam domum aliam aque privato jure atque optima lege, publico vero omni præcipuo & humano, & divino jure muniam. Alias quoque urbes five respellas jus suum publicum habuisse, exinde probamus, quia juris publici Gaditani meminit idem pro Corn. Balbo c. 15. Dicitur alias quoque *jus populi*, pro Cn. Plancio c. 3. pro domo sua c. 15.

§ 4. Jus igitur publicum Reipublicæ Romanæ nobis delineandum suscipimus. Néque putamus quenquam fore, qui id nobis vitio vertat, aut dicat, nos falcam in alienam messem immittere. Nam quæ ab aliis derelicta sunt, illa a quovis occupari nemo ægre feret. Præterea jus illud publicum, de quo nos agimus, huc usque Philologis, Criticis & Antiquariis permisum fuit, ut in ea re diligentiam suam exercent. Ad scholas & juventutem ablegantur Cicero, & qui de republica Romana agunt, hinc nos quoque agimus, quod nostrum est, & quod ad nos pertinere nemo negabit. Et quis alias de his rebus tractare commode potest, nisi in lectione priscorum autorum non leviter versatus? quam, quia ad rem non facit, plerique non dicam Jurisconsultorum, sed & aliorum litteris incumbentium hodiernis temporibus jure suo negligunt.

§ 5. Si quis vero causam querat, cur Romani quondam jus publicum ita neglexerint, ut nihil de eodem litterarum monumentis conscripserint, illi duo responderi posse existimo. Prius est, quia Romani talia sibi met invicem tantum per manus tradere soliti erant. Testis est Dionysius Halicarnassensis lib. 1. qui ait, Censorios commentarios a patribus filios per manus accepisse, & ipsos posteris pari cura tradidisse, haud secus, quam sacra paterna & gentilitia: hos vero per viros illustres ser-

servatos in familiis censorii. Ad stipulatur eidem Plinius junior lib. 8. epist. 14 ubi, cum de jure senatorio quæstio occurreret, sic ait: *Erat autem antiquitus institutum, ut a majoribus natu non auribus modo, verum etiam oculis disceremus, que fatienda; mox ipsi ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus.* Porro notum est, ejusmodi tabulas publicas in libris linteis descriptas & in templo Monetæ repositas fuisse, ad quod, perinde ac hodie ad archiva Principum, non cuivis accessus patebat. Hanc observationem debemus Vinc. Caborio, variarum juris publici & privati Disputationum lib. I. c. I. Addimus vero e re paucorum etiam olim fuisse juri publico operam dare, plurimorum vero ius privatum tractare, quæ res ad locupletandos caussarum Patronos multo plus valet, quam publici juris studium. Idem Caborius ait: *certum esse, Varronis libros antiquitatum maxima ex parte ad jus publicum spectasse.* Verum ex iis, quæ Augustinus de civitate Dei lib. 6. c. 3. de his antiquitatum commentariis profert, commodius concludas, ipsum de Republica in genere egisse. Fragmenta, quæ supersunt, tantum quædam historica propinant, pauca vero ad jus publicum spectantia.

§. 6. Porro quia omne Jus publicum consuetudinem & facta plerumque supponit, & nos in talibus quoque versamur, nihil utique sine testimoniosis ex antiquitate petitis proferendum est. Nos vero iis singulis allegandis equidem supersedere potuimus, quia pleræque materiæ, quas adtingimus, a Viris doctis ita sunt exhaustæ, ut justa de illis volumina conscripta reliquerint. Qui ergo a nobis requiret probationem, quod Consules aut Praetores Romæ fuerint, quod leges variae ibi obtinuerint, & quæ alia hic tractamus, is sciat, nos ex eorum genere non esse, qui allegationes Auctorum præter necessitatem & in rebus facillimis cumulent. Si quis vero nosse cupit, unde probationes petendæ sint, is adeat Bibliographiam Antiquariam Viri Celeb. Joh. Alb. Fabricii, aut Lexicon Antiquitatum Romanarum Sam. Pitisci, ubi sufficienter & luculenter ei satisfiet.

§. 7. Dum vero in jure publico Reipublicæ Romanæ versamur, eiusque specimen quoddam Lectori propinamus, rogatos volumus omnes & singulos, ne quem brevitas nostra offendat. Nam omnia his plagulis comprehendere quum non

potuerimus, & tamen specimen proiectuum in Antiquitate Ro-  
mana edere placuerit, multa omissa sunt, quæ fortassis in po-  
sterum supplebuntur. Unum tantum exemplum addimus, unde  
constabit, Jus privatum sine publico esse non potuisse, adeo-  
que olim in Jure Consulso perfecto juris quoque publici scien-  
tiam requisitam fuisse. Exemplum satis luculentum adfert Ci-  
cero pro domo sua c. 13 Jure Romano adoptare poterat is, qui  
neque procreare jam liberos possit, & cum potuerit, sit exper-  
tus. Jam vero Clodius Patricius, ab homine plebejo, viginti  
annos nato, & minore, qui uxorem & liberos habebat, adopta-  
tus erat, tantum ex hac causa, ut Tribunus plebis fieri posset.  
Is postmodum iniquissimam legem tulit, ut Cicero in exilium  
ejecteretur, quo facto domus ejus publicata, eversa, & Liber-  
tati consecrata est. Is vero ab exilio redux, oratione pro do-  
mo sua, Lentulum & Pontifices & totum senatum non medio-  
criter perstringit, quod ex ignorantie hujus juris tam injuste  
secum egerint.

§. 8. Quum igitur Respondens ante suum a nobis dis-  
cessum aliquod studiorum suorum specimen edere vellet, hanc  
ipsi materiam, præcipue quum juris studio se tradiderit, elabo-  
randam proposui, quam &, Rosinum potissimum auctorem  
secutus, elaboravit, quantum vires juveniles permittere volue-  
runt. Ego postea totum opusculum emendavi, interpolavi,  
supplevi, &, quantum muneris ratio concessit, in hanc de-  
mum formam redigi, singula sic instituens, ut intra modum  
dissertationis me continerem. Quum ad finem labor noster  
vergeret, Catalogi bibliopolarum nunciant Job. Godofredi Clau-  
singii J. U. D. & Consiliarii Lippiaci *Jus publicum Romanorum sive*  
*fasciculum arcanorum status Republicæ Romanae*, Lemgoviae, hoc  
ipso anno impressum. Ipsum vero librum nacti vidimus Colle-  
ctionem esse Opusculorum Fenestellæ, Val. Probi, Gruchii,  
Lipsii, & Alex. Sardi, quæ ad Magistratus, Comitia, & alias  
hujusmodi Romanorum antiquitates pertinent, & omnino ad  
aliquam Juris publici cognitionem faciunt. Quia vero metho-  
dicam hujus juris tractationem in eo frustra quæras, non po-  
tuit nos laboris semel cœpti poenitire. Tu modo, Lector be-  
nevole, conatus nostros æquo judicio perlustra,

DE



# DE JURE PUBLICO REIPUBLICÆ ROMANÆ.

## CAPUT I.

### DE FORMA REIPUBLICÆ ROMANÆ.



S. I.

Omana respublica nomen rei-publicæ liberae sensu strictiore vel maxime meretur. In illa etenim tres ordines conspicimus, senatorium, equestrem, & plebejum. Hi non in populi Romani veniebant, cuius est summa omnium rerum potestas, ut ait Cicero de harusp. responsis c. 6. h. e. ad quem omnia Jura Majestatis spectabant. Jam vero horum ordinum singulajura, munia, & insignia, quæ distincta fuerunt, distincte ei iam explicabo.

S. II. Jus senatorium publicijuris partem esse jam olim docuit Plinius epist. 8. 14. i. Prima ergo hujus ordinis autoritas in eo erat posita, ut quicquid agendum incumberet, ejus decretis sanctissimis ageretur. In hunc ordinem senatores cooptati sunt, primum generis amplitudine, deinde quoque senio, (inde Senatorum nomen) & quæ illud comitari solet, prudentia & rerum gerendarum dexteritate conspicui. Numerus Senatorum a centenario, quem Romulus esse primum voluit, sub cæteris Regibus ad trecentos crevit. Longo tempore post a. C. Graccho Trib. plebis, electis ex Equestris ordine trecentis, sexcenti senatores primum facti sunt. Censu in legendu senatus spectatus est, qui secesserunt 800. millia fuit, qui vero hunc censum non habebat, h. e. ad monetam nostram 24000. imperiales, Senator legi non poterat. Id enim dignitatem tanti ordinis requirere putabant,

bant, ne quis aut cum paupertate colluctari, aut ex avaritia donis corrumphi, vel denique mercimonium aut negotiorum parum honestum agere necesse haberet. Insigne Senatorum fuit tunica laticlavia. Cum igitur ex ordine senatorio plerique Magistratus creati sint; operae pretium videtur, ut prius de divisione Magistratum pauca annotentur, quo facto ad ordinem eorum revertemur.

§. III. Magistratum Romanorum non una fuit ratio: 1) Alii in ipsa urbe fuerunt, alii extra urbem. 2) Alii fuerunt majores, alii minores. 3) Alii ordinarii, alii extraordinarii. Nos tantum divisionem in majores & minores sequimur, reliqua suo loco inferentes.

§. IV. Majores Magistratus dicuntur, qui imperium potestatemque habent: h. e. qui non obedientes & noxios cives mulcta & vinculis coercendi jus habent. Supremum inter illos locum, rerumque imperium *Consules* obtinebant, & a *consulendo*, vel quod aliis consulerent, vel quod ab illis consulerentur, appellati sunt. Nemini vero *Consulatus* ordinarie contingebat, nisi minimum annos ætatis XLII. explevisset, & prudentia atque virtute conspicuus fuisset. Insignia eorum fuerunt, sella Curulis regia & eburnea, in qua jus dicebatur, trabea, & toga purpurea prætexta, i<sup>c</sup>tores XII. qui fasces ipsis præferebant. Creati sunt comitiis Consularibus Kal. Jan. haberi solitis, & sub finem Reipublicæ liberæ non parva adjumenta & subsidia consulatus erant gratia & voluntas militum, teste Cicerone pro Muræna c. 18. *Consules* Romæ præsentes omnium publicarum actionum potestate funguntur. Convocare concionem, & quæ a pluribus decreta sunt dispensare. Denique & bellicus apparatus ad eos pertinet, ac universæ, quæ sub cælo est, œconomie prope Imperatoriam ac regiam habebant potestatem. Temporibus belli exercitum quoque s<sup>e</sup>penumero duxerunt. *Censoris* officium erat, numerare populum, describere facultates cuiusque civis, observare singulorum hominum, etiam eorum, qui senatorii aut equestris ordinis erant, mores & vitam: & notare ignominia civem quemcunque: Senatorum loco movere, Equiti adimere equum & annulum, si quid in vita ejus deprehenderet honestati contrarium, tollere quoque omnia, quæ probitati morum pessimum

stem, & perniciem illatura videbantur, unde *Magistri morum* solebant nominari. Sed & alia ad Censorum munus pertinebant, ut puta, pretia sacrificiorum procurare, & alere sacros anseres, lustrum condere. Quinto quoque anno a Consulibus comitiis centuriatis creabantur. *Prator* dictus is, qui praedit jure & exercitu, & civibus jus dicit. *Pratoris* juris dicundi munus tribus his verbis continebatur: *Do, dico, addico.* Is erat vel urbanus, vel rusticus, qui in urbe vel rure jus dicere solebat. Alii erant *Prætores Provinciarum*, qui ipsis cum imperio præerant, & sortito quottannis eligebantur. Insignia eorum fuerunt *prætexta*, sella *Curulis*, hasta, & ministri, scribæ scilicet, accensi & lictores. Sella *Curulis* fuit eburnea, qua in publico & privato loco sedendi causa utebantur. Propria autem *Prætorum* insignia fuere, hasta & gladius: illa ad Jurisdictionem, hic ad quæstionem significandam. Lictoribus duobus *Prætor* usus est. Uſus scribarum fuit, ut in tabulas actiones referrent; Accensorum, ut citarent; Lictorum, ut coercerent & summoverent. Sequuntur *Magistratus* majores extraordinarii.

S. V. *Dictator* clavi figendi causa primum constitutus est, post vero temporibus reipublicæ periculosis, quando consultatio Senatus nimium prolixa videbatur, unius fidei ac consilio permissa est respublica, hinc summa ei atque plena potestas belli ac pacis aliorumque omnium negotiorum tradita est. *Cajus autem Julius Cæsar*, qui postremus *Dictator*, & quidem perpetuus, contra leges patrias fuit, *Dictatura* ad Rempublicam penitus tollendam abusus est. *Magister Equitum* a *Dictatore* creatus est, & ei potestas in *Equites* committebatur; subiectus *Dictatoris* imperio fuit, & sine ipsis mandato & permisso nihil moliri audebat. *Decemviri* consensu Senatus & plebis creati sunt eotempore, quo Leges e Græcia petenda, & pro statu Reipublicæ Romanae in XII. Tabb. promulgandæ erant. Hi Leges, quas diximus, de negotiis tam privatis quam publicis promulgarunt, quibus legis sua jura præscripta sunt, tam privatis civibus, quam summis Magistratibus. Quia vero maxinam partem rerum pro imperio, multa tyrannice agebant, cumque primo honoris die post peracta sacra solennia singuli cum singulis insigniis regiis prodirent,



rent, prælatis cuique duodecim fascibus & securibus, quod ante antiquatum fuerat, accedente etiam cæde Siccii, & negotio Virginiae, Decemviri damnati, & hæc potestas in universum sublata est. *Tribuni militum consulari potestate*, ad differentiam eorum, qui castrenses Magistratus erant, creati sunt a. u. 309. & postea diu Consulum loco obtinuerunt, ut ex Livio & Faltis Consularibus constat. Caufsa, quod ii creati sint, erat contentio inter Senatum & plebem de conjugiis equitum cum plebejis. Quia igitur hæc res multarum contentionum caufsa fuit, Consulesque, intercedentibus Tribunis plebis, concludere nihil poterant, tandem placuit, ut Tribuni militum Consulari potestate crearentur, qui per intervalla Rempublicam rexerunt, ita tamen ut post a. 386. nulla eorum mentio ulterior occurrat. *Triumvirorum Rempublice constituende Magistratus* ad ordinandam & corrigendam Rempublicam ultimis temporibus lapsantem institutus est. Quanquam, si dicendum quod res est, hic Magistratus contra Leges & propria Triumvirorum auctoritate constitutus est. Ultimi Triumviri, nam reliquos plerique non satis attendunt, fuerunt C. Cæsar Octavianus, Lepidus, & Antonius. Quia vero sibi ipsis omnes provincias arrogabant, & inimicos suos injuste proscriptebant, ac interficiebant, tandem mutuis cædibus in semet invicem desævierunt, usque dum tandem Augustus solus rerum potitus est. Sequuntur Magistratus minores ordinarii.

S. VI. *Questoris munia* fuerunt: Curam gerere ærarii & vestigalium populi Romani, pecuniam publice vel privatim erogare, vel in ærarium condere, atque in tabulis accepti & expensi referre: Cum exercitus conscribi, & in campum legiones duci oporteret, signa militaria ex ærario depromere, atque ad Consules in expeditionem ituros mittere: Legatis Romanis venientibus publicum hospitium curare, iisque munera, commeatus, large & hospitaliter, & vestimenta publico nomine exhibere, ac ne quid ipsis eorumque comitibus deesset, prospicere. Plebs primum a Senatu impetravit, ut sibi liceret quotannis quinque e suo corpore *Tribunos plebis* creare, duplicitus deinde hic numerus fuit, & decem creati sunt. Hic Magistratus *sacrosanctus* erat, h. e. talis, quem vel vi, vel ver-

verbis violare capitale erat, & scelus inexpiable. Hi a plebis erant partibus, ne quid contra ipsos a Senatu susciperetur. Vestis ipsorum erat purpurea. Domus ipsorum semper erat aperta, ut querelas civium audirent. Hi poterant decretis Senatus intercedere, sive, ut nos hodie loquimur, protestari. *Aediles* dictus est, qui aedes sacras, & privatas, curabat. *Aediles* autem plebis dictus est, quod ex plebe crearetur. Munera ipsorum erant, ut aquaeductus, & cloacas publicas prospicerent, item in delictis minoribus jurisdictionem exercerent. *Aediles Curules* a sella Curuli dicti sunt. Munus eorum erat, ludos sacros & solennes instituere, ac procurare, sacrarum aedium & privatarum curam gerere. Insignia toga praetexta, & sella Curulis fuerunt. *Aediles Cereales* dicti, quod Cereri, h. e. trumento praeffessent.

§. VII. *Curatores Tribuum* erant, qui Tribuum commoda procurabant, perinde atque in vicis Vicorum Magistri. *Triumviri Capitales* Carceris custodiam habebant, ut cum animadvertisse oporteret, id interventu eorum fieret, & ad eam rem opera lictorum usi sunt, quorum octo sub se habebant. *Triumviri nocturni* incendiis arcendis praeerant, qui ab eo, quod excubias agebant, etiam nocturni dicti sunt. *Triumviri valetudinis pestis causa creati*, atque Domini sanitatis vocati sunt, quippe temporibus de morbo suspectis magna illis potestas concessa est. *Triumviri monetales* praeferunt cuendae monetae, dicti fuerunt Auro Argento Aere Flando Feriundo. *Quatuorviri viarum curandarum*, quod viis vel muniendis vel sternendis praeffessent. *Quinqueviri cis & uls Tiberim* Magistratum vicarii fuerunt, qui vespertinis temporibus pro Magistratibus fungi debebant. Succedunt Magistratus minores extra ordinem.

§. VIII. *Duumviri perduellionis* creati sunt, qui perduellionem judicarent. *Questores parricidii* vel rerum capitalium fuerunt, qui iudicia quaestionum exercebant, & a populo constituebantur, qui capitalibus rebus praeffessent, quia de capite civis Romani injussu populi non erat lege permisum Consulibus jus dicere. *Prefecti annonae* munus erat, ut videret, ne plebs annonae inopia & caritate laboraret, utque panis copia redundaret,

ret, pondereque justo, ac munda debita panis veniret; itaque si quid ad annonam pertinens commissum erat, ipse cognoscet. *Quinqueviri & Triumviri mensarii a dispensatione pecuniae dicti.* Cum enim plebs Romana æs alienum solvere non posset, a creditoribus vinciti in servitium ducebantur, ubi misere ab iisdem tractabantur. *Quinqueviri* igitur creati, qui illos sublevare & solutionem æris alieni in publicam curam vertere debebant. *Duumviri navales* debebant reficere & ornare classem, utque navalibus sociis impleretur, commeatuque instrueretur, curare. Reliquos minoris momenti omittimus.

§. IX. Supereft, ut jura ordinis Senatorii brevibus delibemus. Et hæc quidem pro ratione temporum vel majora fuerunt, vel minora. Primi Reipublicæ liberae temporibus Magistratus majora habebat jura, ita, ut Dionysius Halicarnassensis aliquoties fateatur, Rempublicam penes optimates fuisse. Succedente vero tempore, quum Magistratus plebeji accederent, jura optimatum imminuta sunt, quum contra jura plebeiorum creverint. Nam & illo ipso tempore, quo minor facta est Senatus auctoritas, Livius lib. 34 c. 31. fatetur, in paucorum manu fuisse Rempublicam, quem senatum vocaverint. Et hæc contra Bodinum de Republica lib. 2 c. 1. qui scripsierat, apud Romanos in magistratibus imperium: in senatu auctoritatem & consilium, non autem imperium: in populo summam potestatem & Reipublicæ majestatem fuisse; luculenter observat Cabotius jam supra citatus lib. 2 c. 3. De consulum juribus prolixus est Polybius lib. 6. c. 10. 11. qui ipsis monarchiam & regiam plane potestatem adtribuit, quod quum concoquere non possit Bodinus, is sibi proponat duos imperatores Collegas, apud quos sane summa fuit majestas. Sed audiamus Polybium jura magistratus edifferentem: *Consules*, ait, *quamdiu in urbe sunt, omnia, que publice sunt, in potestate habent.* Omnes reliqui magistratus preter Tribunos Consulibus obnoxii sunt, eisque parent. *Hie legationes in Senatum inducunt.* Idem quoties deliberari aliqua de re usus postulat, referendi jus habent: estque in eorum manibus Senatus consulta conficiendi totum negotium. *Præterea publice omnes actiones, que per populum fieri debent, ad curiam horum pertinent.*

Item advocare conciones, rogationes ferre, e suffragiis majoris partis populi legem aut plebiscitum condere. Insuper belli adornandi, gerendi, & omnia que ad expeditionem pertinent, administrandi potestatem propemodum absolutam Coss. habent. Nam & auxiliaribus sociorum copiis imperare, quod visum fuerit, & tribunos militum constituere, & conscribere exercitum, & dilectus agere Coss. licet. Accedit ipsis, quod jus animadvertisendi habent in quem voluerint cunque ex omnibus qui belli tempore ipsis parent. Possunt etiam uidem de publicis pecuniis quantum libuerit insumere: comitante Questore, & promptie, quicquid fuerit jussus, exequente. Ut merito dicat aliquis hanc partem intuens, Rempublicam Romanam plane ab unius imperio pendere, & regiam esse. Quod si quid horum vel eorum, que deinceps dicturi sumus, aut hoc ipso tempore, aut aliquanto post fuerit deinceps mutantum, nihil ad praesens judicium hoc nostrum ea res facit. Ad Senatum quod attinet, ante omnia in potestate illius est orarium. Nam & reddituum omniam, & item eorum, que expenduntur, penes hunc est arbitrium. Questores enim ne ad quotidianos quidem usus sumsum ullum possunt facere absque Senatus consulta Patrum, eo excepto qui Coss. sit nomine: & illa quoque omnium summa & maxima impensa, quam per Iusta singula Censores faciunt, in sarta tecta locorum publicorum, auctoritate fit Senatus, a quo ejus rei potestatem Censores accipiunt. Similiter & delicta in Italia admissa, que animadversione publica opus habent, puta, proditio, conjuratio, veneficium, aut eades dolo malo patrata, ad cognitionem Senatus spectant. Hoc amplius si quis privatus, aut si qua urbs in Italia aliquid controversia dirimendum haberet, aut objurgatione dignum facinus commiserit, aut ope vel presidio indignerit, omnia hac Senatus sunt curae. Sed & extra Italiam si aliquo mittenda fuerit legatio, vel concilianda pacis inter dissidentes gratia, vel horandi causa, aut etiam si ita res ferat, ad imperandum suscipiendumve aliquid, aut ad bellum indicendum, Senatus hac cura est. Postremo ubi Romanas legationes exterae advenerunt, quomodo cum unaquaque illarum sit agendum, quomodo respondendum, omnia hac per Patres administrantur. Populi in his, que diximus hactenus, nullae omnino sunt partes. Itaque si quis Romanam veniat, quando neuter in urbe est Consul, plane optimatum principatus esse videtur. Quae sane multorum & Gracorum & Regum constans

persuasio est : quia a Senatu confirmantur, quacunque ipsi cum Romanis agunt. Plura ex eodem auctore proferri possent, sed limites dissertationis transilire nolumus. Quæ vero cujusvis Magistratus jura fuerint, jam superius, quum de singulis ageretur, singulatim dictum est. Porro hos magistratus nemo per fraudes & artes illicitas capessere debebat, nisi crimen ambitus incurre-re vellet. In quam rem multæ leges ambitus latæ sunt Petilia, Cornelia Bæbia, Calpurnia, Tullia, Pompeja & Julia. Hinc Polybius Hist. lib. 6. c. 54. Rempublicam Romanam laudat, quod Romæ crimen fuerit dignitates & honores largitionibus redi-mere, quum contra Carthaginem id semper factum sit.

§. X. Secundus ordo fuit Equestris, cuius jura breviter delineamus. Equestris dignitas assignabatur iis, quibus census equestris erat, h. e. festertium quadringentorum millium, id quod, si nostra pecunia numeres, fere 12000. imperiales conficiet. Ratio vero, cur tantæ divitiæ requirerentur, erat, quia nole-bant Romani, ut illa dignitas nimium humilis redderetur, si pauperiores ad illam pervenirent, & deinde facere cogerentur, quæ minus e dignitate hujus ordinis essent. Equites nomen habebant ab equo publico, qui ipsis alendus dabatur, nomine quidem, ut eodem ad bella Populi Romani gerenda uterentur, re ipsa vero signum tantum erat honoris, quia plurimi ipsorum in urbe manebant. Porro habebant jus annuli aurei gestandi, qui eos a plebe distingueret. Utebantur etiam angusto clavo, seu tunica clavata, quæ clavos purpureos habuit, de quibus consule Antiquitatum scriptores. Ordinis ea ratio fuit, ut cum in senatum legendi essent, maxime ex Equestris ordine, qui proximus dignitate erat, legeretur. Imo ordo Equestris erat velut medius quidam inter senatum plebemque, adeo ut com-municata cum iis judicia publica fuerint. Qui ergo hæc tueba-tur, nec, quantum in se erat, infringi volebat, *retinens juris equestris & libertatis* dicitur Ciceroni pro Cn. Plancio c. 23. Tan-dem ordo equestris hoc quoque singulare jus habuit, quod Equi-tes patroni fuerunt plebiorum, ita ut ipsos non solum coram iudicio defenderint, sed etiam pauperioribus sportulam quotidianam distribuerint, alias quoque eosdem consilio & auxilio adju-

adjuverint. Pro quo negotio contra, quando in publicum procedebant, a magna clientum multitudine deducebantur, quae res ipsis magno honori fuit & admirationi. Præcipue vero in comitiis suffragia clientum nanciscebantur, quo factò aditum ad honores summos consecuti sunt.

§. XI. Tertius ordo populi Romani plebejus fuit, qui cives erant, a Romulo instituti, ut agros colerent, pecora alerent, & quæstuosa opifia exercearent. Hic ordo habebat jus suffragiorum in Magistratu creando, legibus ferendis, & aliis consultationibus publicis. Deinde cum plebs per secessionem a Patribus impetrasset, ut sibi Tribunos, Aediles, & alios Magistratus plebejos crearet, hi postea legationes in senatum ducere, & urgentia consilia proferre, ac totum edictorum sive senatus consultorum negotium exequi possent: denique quicquid per plebem agendum, quod ad publica negotia pertineret: Hiigitur Senatum ursurunt, ut concederent, Magistratus Curules, Consules, Dictatores, & Censores ex plebe fieri. Alia quædam jura excerpimus ex Polybio lib. 6. c. 12. 13. *Solus Populus in civitate præmii & penæ est arbiter. Iudicia exercet, cum pecunia persæpe, quoties multa gravior maleficio est irroganda: presertim vero ubi res eorum agitur, qui magistratus majores gesserunt: publica vero capit is solus. Legum quoque fanciendarum & abdicandarum jus penes populum est: & quod longe maximum est, de pace & bello hic deliberat, pacta & fædera aut firmat, aut infirmat, & ubi Magistratus deposuerit imperium, apud populum eis ratio gestorum est reddenda.* Et hæc quidem Polybius.

## CAPUT II.

### DE ORBE ROMANO SEU TERRIS REIPUBLICÆ ROMANÆ.

#### §. I.

**Q**uum Respublica Romana libertatem acquireret, fines ejus admodum arctis limitibus constricti erant. Verum liber populus paullo ferocior factus cum finitimis bella varia suscepit, ita ut post annos CCXL. Italiam universam subjugata

jugaret. Postea, ut verbis Flori utamur, vinci neminem puden-  
tia, sed potestas Romanorum se per universum fere terrarum  
orbem, qua tunc habitatus erat, extendit. Sic in Europa Ro-  
manorum erat Hispania, Gallia, pars Germaniae, Illyricum, Pan-  
nonia, Graecia, Peloponnesus, Thracia, cum omnibus Insulis  
adjacentibus. In Asia, Syria, Iudea, Parthia, Asia minor, cum  
provinciis aliquot vicinis. In Africa Aegyptus, Mauritania, Libya.

§. II. Quantum vero ipsis ex his terris commodorum &  
proventuum natum sit, facile quivis expendet. Quædam enim  
provinciæ ipsis frumentum suppeditabant, ut Sicilia & Africa:  
aliæ ingeniorum afficinas, quales erant Athenæ, Rhodus, Salamis,  
Massilia: aliæ denique artificum opera, aromata, & varia tum  
utilitatis & jucunditatis, tum quoque voluptatis instrumenta, qua-  
les erant Graecia & Asia.

§. III. Verum ea nos jam nunc mittimus, & potius mem-  
bra Reipublicæ Romanæ secundum civilem ipsorum condicio-  
nem consideramus. Romulus urbis fundamentis jactis curam  
de ordinando civitatis statu gnaviter adhibuit, & totam civita-  
tem in plebem & optimates divisit, plebe denuo in classes, Tri-  
bus & Centurias distributa. Optimates vel Patres erant vel Pa-  
tricii, qui nempe a Patribus, quos Romulus instituit, genus du-  
cebant. Procedente tempore propter varietatem regionum va-  
riæ divisiones acceperunt, & secundum illas quædam diversa jura  
& privilegia obtinuerunt, ita ut alii jus Civitatis, alii jus Latii,  
jus Italiae, aut jus Coloniarum habuerint; alii Populi fundi es-  
sent, alii denique jure peregrino & provinciali uterentur. Ha-  
rum aliæ meliori jure & conditione gaudebant, quam reliquæ,  
ut ex sequentibus constabit, inde Heraclea *civitas e quissimo jure*  
*ac fædere dicitur a Cicerone pro Archia c. 3.*

§. IV. Cives Romani, qui in urbe, & prope illam ruri do-  
micilium habebant, & quidem ii tantum, qui in tribus curias-  
que descripti erant, *jus Quiritium sive Civitatis*, h. e. jus priva-  
tum civium Romanorum habebant, quod consistebat in jure  
privatae libertatis, connubiorum, jure patrio, jure legitimi do-  
minii, ut hæreditatis, mancipii & nexus, usucaptionis, & reli-  
quorum, item in jure testamentorum & tutelarum, & jure sus-  
fragii

fragii in comitiis de aliquo Magistratu creando, ut quoque exiliis Magistratus creari, & in lenatum legi potuerint. Neque tamen omnes etiam cives, qui in urbe habitabant, jus suffragii in comitiis habebant. Qui enim a Censoribus ignominiae causa notabantur, adimebatur iis jus suffragii, & referebantur in tabulas eorum civium, qui eo jure carerent: siebant etiam ærarii, i. e. non erant amplius in albo centuriæ suæ; scilicet ad hoc, ut cives essent, sed tantummodo, ut pro capite suo tributi nomine æra penderent.

§. V. *Populi*, qui se sua sponte in ditionem & clientelam Romanorum dederant, etiam leges quasdam Romanorum suscipiebant, alias vero in pristina libertate manebant, *Populi fundi* vocabantur, vel inde, quia Romani in illis talem potestatem, quam quisque in fundo suo habebat, exercere poterant: aut, quia *fundus* idem est quod *auctor*, qui illis legibus, quas suscepere vult, subscribit. Vide Ciceronem pro Corn. Balbo c. 8. & Istm. Bullialdum de populis fundis.

§. VI. Alii qui circa urbem habitabant, ut Latini, Etrusci & Umbri, *Jus Latinitatis* acquisiverant, quod æquius erat, quam aliorum subditorum Romanorum, quia ex foedere cum Latinis percutso manavit. In eo autem consistebat, ut suffragiorum potestatem Magistratu permitente haberent, & legibus vel a populo Romano acceptis, vel ab ipsis per senatum aut populum conditis uterentur, & honores quidem in bello ac republ. in civitate Rom. caperent, attamen vero tributum dare debebant.

§. VII. *Jus Italicum*, quod reliquæ Italæ civitates habuerunt, Latino deterius, peregrino autem æquius erat. Non usæ sunt jure privato civitum Romanorum, onera Latinorum ferre cogebantur, & milites dare, qui tamen non inter legionarios, sed socios, militarent. Contra vero hac in parte provincialibus meliores erant, quod Magistratibus suis, non vero Praetoribus aut Proconsulibus Romanis, parerent. In hoc autem maxime *Jus Italicum* inferius fuit non solum Romano, sed etiam Latino iure; quod nullus pror-

*Cle sinq[ue] m[odis] p[ro]p[ter]as*

sus aditus Italiciis tempore Reipublicæ liberæ ad honores Romæ petendos, aut suffragia ibi ferenda patuit, cum is Latinis non quidem jure optimo, tamen aliquo concederetur. Vide prolixius dissert. V. C. Christiani Gottl. Schwarzii, Prof. Altorfini, de jure Italico a. 1720. editam.

§. VIII. Postquam crescente Republica, multis vicinis populis devictis, jus civitatis communicaretur, Populus quoque Romanus cives suos ad *Coloniae* deducere consulum putabat, (1) ut priores populi, qui eum locum, in quem Colonia deducebatur, inhabitarant, coercentur: (2) Ut hostium incursiones reprimerentur: (3) Ut stirps Romana augeretur: (4) Ut plebs urbana exauriretur: (5) Ut seditiones Romanæ a Plebe nata sedarentur: & tandem (6) Ut præmiis veterani milites afficerentur. Harum respublica in legibus & Legum Curatoribus positæ erat: Leges vel a populo Romano acceperunt, vel sibi per Senatum aut populum condiderunt. Legum Curatores aut Magistratus aut Sacerdotes fuerunt: humanarum illi, hi divinarum. Leges autem suas quæque Colonia præcipias habuit, a Romanis quidem Legibus separatas, sed tamen a Romanis Triumviris, qui Coloniæ deduxerant, datas: Et præter eas, alias a Coloniæ Concilio, h. e. Senatu populoque latae. Magistratus Coloniarum præcipui erant, Duumviri, Censores, Ædiles, & Quæstores. Duumviri Magistratus erat annuus, propemodum potestate Consulari, aut certe Prætoriæ apud Romanos æquali. Censores in Coloniis censum égerunt, perinde atque Romani Censores Romæ, & sic quoque Ædiles & Quæstores. Hi Magistratus in Coloniis prætexta usi sunt. Sacerdotes porro, ut Augures & Pontifices, cooptarunt. Illi quidem in Tribus describabantur, & cives Romani erant. Quamdiu autem extra urbem vivèrent, in curias non refrebantur, sed sua sacra patria retinebant. Qui autem ex Coloniis Romani migrabant, ii cum in Curias describerentur, domestica sua sacra relinquare cogebantur, & ea recipere, quæ ejus curiæ, in quam describebantur, propria essent.

§. IX.

§. IX. *Jus provinciale & peregrinum fuit, quo reliquæ regiones & nationes extra Italiam sitæ usæ sunt.* Ex his quædam legibus suis & jure patrio vivere permittebantur, id quod de Judæis, Ægyptiis, pluribusque Græciæ & Asiae populis constat: alia contra leges Romanas accipere cogebantur, id quod in Hispaniis & Galliis factum esse existimamus. Sed de his multa proferre non possumus, quia scriptores Romani in talibus parciores fuerunt. Respectu vero ad jus Italicum habito hoc multo erat deterius. Nam Italia quidem vectigalis est facta, sed tamen in universum libertate donata. Provinciæ non solum vectigalibus sed etiam servitute multatæ sunt: quippe quæ, si non omnes legibus, certe magistratis suis jus dicentibus privatæ sunt. Id vero argumento est, quod provincia nulla fuit, quæ non Romanum Prætorem, qui jus diceret, & Quæstorem, qui vectigalia procuraret, haberet.

### CAPUT III. DE LEGIBUS.

#### §. I.

Romani primum variis legibus, quas Reges tulerant, usi sunt, quibus sublati, duodecim tabulæ successerunt, ex quibus jus civile fluxit, subsequuntæ sunt postea leges aliae, Plebiscita, Senatusconsulta, & Prætorum edicta, de quibus omnibus jam differam. Primum ergo locum habent *Leges duodecim tabularum*. Exactis enim Regibus lege Tribunitia in usu esse jus Papirianum sive Regium desit, & omnes regiæ leges exoleverunt, cœpitque Populus Romanus incerto magis jure & consuetudine, quam certa legi, uti: idque prope viginti annis passus est. Postea ne diutius hoc fieret, placuit publica autoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges a Græcis civitatibus, & civitas fundaretur legibus: quas in tabulis æneis prescriptas pro Rostris posuerunt, ut possent leges apertius percipi:

pi: datumque est eis jus eo anno in civitate summum, ut leges & corrigerent, si opus esset, & interpretarentur: neque provocatio ab iis sicut a reliquis Magistratibus fieret. Qui ipsi animadverterunt aliquid deesse istis primis legibus: Ideo que sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adjecerunt, & ita appellatae sunt *Leges duodecim tabularum.*

§. II. His legibus latis necessaria fori disputatio fuit. Interpretatio enim earum legum Prudentum requirebat auctoritatem: & quod eorum auctoritate erat inductum, id omne appellabatur *jus Civile*; quod quidem jus Civile ita divisum fuit, ut partim ex legis constaret actionibus, partim ex interpretatione legum decemviralium, partim denique ex novo jure, loco appendicis duodecim tabulis adjecto. Legis actiones nihil aliud erant, quam ritus five formulæ omnium, quibus jus suum veteres persequebantur, actionum directarum, a prudentibus perscriptæ. Deinde Jurisconsulti, ne sine eorum opera lege agi posset, & omnibus in rebus ipsi interessent, notas quasdam composuerunt: Idque eam videtur habere sententiam, ut evulgatis factis & legis actionibus, omnes quæ a Jureconsultis deinceps componebantur formulæ, notis, h. e. literis singulis, aut binis integrum aliquod verbum designantibus, hac intentione exprimerentur, ut si forte rursus evulgarentur, a populo non possent intelligi: & per consequens, earum interpretatio semper a Jureconsultis petenda necessario foret. Alterum, ex quo constitisse Jus civile diximus, fuit legum decemviralium Interpretatio. Cum enim Leges duodecim tabularum aliquot obscuriores essent, nec omnes circumstantiae definire, consueverunt eas Jureconsulti suis interpretationibus illustrare. Hac Rosinus lib. 8. c. 4.

§. III. Huic accedebat jus novum Jurisconsultorum, five prudentum auctoritate, aut responsis, & fori disputatione constitutum, atque appendicis loco duodecim tabulis adiectum. Nam, prout testatur Pomponius, ante Divi Augusti

gusti tempora, qui studiorum suorum fiduciam habebant, eis de jure liberum fuit populo respondere, illique judicibus, a quibus consulebantur, aut certam scripserunt juris definitionem, aut sine scripto, quid eis videretur, testari soliti. Illud etiam observari solebat, ut quoties gravis aliqua & perplexa juris incideret quæstio, fori quædam institueretur disputatio, jurisconsultis simul in aliquem locum congregatis, cuiusmodi disputationum fori meminerunt jurisconsulti sæpe & Marcus Cicero libro primo ad Quintum fratrem, atque in Topicis ad Trebatium. Quod igitur in hujusmodi fori disputatione communi jurisconsultorum consensu definitum & decretum erat, id quoque jus civile communi nomine dicebatur, & jus non scriptum. Cicero decreta jurisconsultorum appellat, cum pro Muræna sic scribit: *Deinde vestra responsa atque decreta & evertuntur sæpe dicendo, & sine defensione oratoris firma esse non possunt.* Per responsa enim singulorum intelligit Cicero Jurisconsultorum definitiones, per decreta vero certas fori disputationes & communi disputantium suffragio receptas sententias.

S. IV. Cæterum, verba sunt Pomponii ff. de origine juris, cum esset in civitate lex duodecim tabularum, & jus civile, essent & legis actiones: evenit ut plebs in discordiam cum Patribus perveniret, & secederet, sibique jura constitueret: quæ jura *Plebisita* vocantur. Eodem tempore, pergit Pomponius, Magistratus jura reddebant, & ut scirent cives, quod jus de quaue re quisque dicturus esset, seque præmuniret: edicta proponebant, quæ *Edicta Pratorum* jus honorarium constituerunt. Honorarium dicitur, quod ab honore Prætoris venerat.

S. V. Hic latissimus nobis excurrendi campus aperitur, si legum Romanarum notitiam vel strictim tradere vellemus. Verum quum hodie tam multa exstent opera, quæ Juris & Legum Romanarum historiam tradunt, ad ea Legarem ablegatum volumus. Legum Decemviralium fragmenta ex Cicerone, Gellio & aliis antiquioribus viri docti

collegerunt, quorum notitiam dedit Cl. Fabricius Bibl. Lat. 4. 9. De Legibus aliis tempore Reipublicæ liberæ latis egerunt singularibus voluminibus Paulus Manutius, Ant. Augustinus, Paulus Merula, ut compendia & Lexica Antiquatum taceamus.

## CAPUT IV. DE JUDICIIS.

S. I.

Judicia apud Romanos fuerunt, quæcunque aut Magistratus ipsi jus dicentes decreverunt, aut Judices a Magistratu jus dicente dati, de jure statuerunt. Quoniam autem jus aliud privatum fuit, aliud publicum, propterea judicia alia privata, alia publica extiterunt. De privatis nos non admodum sumus solliciti, quum eorum ratio & conditio facile cuivis se se prodat, & ab Auctoribus Historiae Juris Romani prolixius pertractata sit.

S. II. Publica igitur judicia dicta sunt, quod cuivis e populo actio permitteretur. Cæterum judicia publica fuerunt decreta, quæ de criminibus, ad rempublicam pertinentibus, Quæsitore aliquo judicium exerceente, Judices ex tribus ordinum decuris, prout Leges de singulis criminibus cognoscendis latæ, jusserunt. Quæ ut planius intelligantur, de criminibus primum & pœnis, deinde de Quæsitoribus, tum de Judicibus, dicenam.

S. III. Crimina maleficia fuerunt, quæ aut adversus Rempublicam commissa sunt, aut Populus Romanus adversus Rempublicam commissa existimavit, atque judicio legibus constituto pœna vindicanda putavit. Itaque non solum injuria factæ senatui, aut Populo, aut Magistratibus : sed etiam nonnullæ privatis illatæ, publicorum judiciorum legibus comprehensæ sunt. Et hoc pertinet judicium Majestatis, quando quis contra universam Rempublicam aliquid commiserat. Quædam ex illis criminibus erant capitalia, quædam mi-

minus. Capitalia, ex quibus mors, aut exsilium, hoc est, aquæ & ignis interdictio: tunc enim caput de civitate eximebatur. Reliqua multa pecunaria aut pena corporis afflictiva luebantur. Sic Claudia, virgo Vestalis, quæ Populo Romano calamitatem imprecata erat, multam æris gravissimam millia sextertium pependit. Huic autem rei operam dede-runt Consules, post Magistratus alii, quos ei muneri Se-natus aut Populus præfecit. Judices vero, qui a reliquis distincti fuerunt, dicti sunt, qui ex Lege ad judicandum adhibiti sunt, quorumque sententiam Prætor ipse pro Tribunal pronuntiavit. Horum autem legendorum diligens adm-dum ratio fuit. Ad ordinem quod spectat, primum leæti fuerunt ex Ordine Senatorio, antiquo ac regio instituto, deinde ex Equestri, Lege Sempronia C. Gracchi, tum ex utroque, Lege Servilia Glauciae, deinde iterum ex Senatorio tantum, Lege Livia Drusi, tum ex tribus ordinibus, Senatu, Eque-stri ordine, plebe, Lege Plautia Silvani, tum ad Senatores solos tres Lege Cornelia Syllæ: inde ad tres ordi-nes, Senatum, Equites, Tribunos ærarios, hi enim erant e plebe, Lege Aurelia Cottæ: postremo ad Senatores & Equites Lege Julia Cæsaris. Numerus eorum a Legibus ipsis præscribatur, ut Lege Servilia Glauciae quadringentorum quinquaginta. Sed non semper idem fuit. Ætatis item non eadem ab omnibus habita fuit ratio. Nam Lege Servilia Glauciae cautum est, ne minor annis triginta, major sexaginta legeretur, aliis Legibus triginta quinque præscripti sunt. Ea vero lectio per Prætorem ur-banum celerabatur, prout Lege sanctum fuerat, iisque selec-ti Judices appellati. Quod ad reliquum horum judiciorum processum pertinet, patiatur se Lector ad Sigonium ablegari, &, qui ex illo profecit, Rosinum. Nam nos brevitatis stu-dio ad finem properamus.

CA-

CAPUT V.  
DE JURE CIRCA SACRA.

S. I.

**M**agistratum politicum habere Jus circa Sacra externa, non solum rationibus dudum evictum est, sed etiam exemplis omnium fere rerum publicarum & regnum. Hinc & Romani eo Jure gavisi sunt, quod jam paucis perflustrabimus. Tria vero hoc potissimum capita spestant, Jus Pontificium, Augurii, & Feciale.

S. II. Reliquis omnibus Sacerdotibus Pontifices præfecti erant, qui eos sacrorum omnium rationem edocerent, atque ne qua in re peccaretur, viderent. Hi a faciendo ponte subilio, vocantur Pontifices, summa auctoritate prædicti: Varro tamen annotat Q. Scævolam Pontificem maximum voluisse, eos a posse & facere hoc nomen habere, quod scilicet facere, i. e. offerre vel sacrificare possint. Ad numerum Pontificum quod attinet, IV. tantum a Numa instituti traduntur, qui omnes ex Patriciis semper cooptati sunt, usque ad annum urbis CDLIV. quo tempore Q. Appulejo Ponfa, & M. Val. Corvov. Coff. Q. & Cn. Ogulnii Trib. pleb. Legem tulerunt, ut numerus Augurum & Pontificum augeretur, & pars eorum ex plebe crearetur.

S. III. Juris pontificii aliquoties meminit Cicero pro domo sua c. 14. 46. 49. 54. Pontificum ergo munera dignitates & Jura fuerunt, ut de omnibus causis ad sacra pertinentibus judicarent, tam inter Magistratus sacrificos, quam inter privatos homines; novasque Leges de sacris arbitratu suo conderent, sicubi destituerentur Legibus scriptis; & Magistratus, penes quos ceremoniae sunt, ac sacrificia, sacerdotesque omnes examinarent, ministros quoque sacrorum in officio continerent, ne quid præter solemnes ritus fieret: A profano etiam & imperito vulgo consulebantur de cultu Deorum ac Genitorum aliisque religionibus. Quod si quem animadverterent præscripta sua contempnere, eum pro delicti

licti magnitudine mulctarunt. Testimonium Ciceronis hic notatu dignum est ex Orat. de haruspicum responsis c. 6. *De sacris publicis, de ludis maximis, de deorum Penatium Vestaeque matris ceremoniis, de illo ipso sacrificio, quod fit pro salute populi Romani, quod tres Pontifices statuissent, id semper populo Romano semper senatui, semper ipsis diis immortalibus satis sanctum, satis augustum, satis religiosum esse visum est.* Et c. 7. *Ita enim est interpretatio illa Pontificum, ut iidem potestate habeant judicium.* Habant jus de rebus sacris cognoscendi, dispensandi, Comitia habendi & ludos edendi.

§. IV. Privilegia eorum summa fuerunt. Ipsi nullius potestati erant obnoxii, nec ad rationem vel Senatui, vel Populo reddendam. Porro per totum vitæ tempus eam dignitatem retinebant, & Pontifex maximus parem dignitate habebat neminem. In defunctorum alius solebat subrogari, non populi suffragius, sed qui Collegio ex omni ipsorum numero maxime idoneus videbatur: nec nisi inauguratus ad sacerdotium admisssus est. Auctoritas ipsorum tanta fuit, ut non ethnici tantum Imperatores hoc honore maestri voluerint, sed & religione christiana ubique jam obtinente, Imperatoribusque antiquam superstitionem prorsus abrogantibus, titulus tamen Pontificum maximorum ipsis placuerit, quem aliquandiu retinuerunt, prout singulari dissertatione in hanc rem conscripta ostendit Jo. Andr. Bosius. Cæterum de veteri jure Pontificio exstat insigne Volumen Jac. Gutherii, quod & una cum laudato Bosii opusculo Gravius Thesauro Antiquitatum Romanarum inseruit.

§. V. *Jus augurum* memoratur a Cicerone pro domo sua c. 15. *Jus augurii* a Gellio lib. 6. c. 6. & *Jus auspiciorum* a Cicerone de natura Deorum lib. 2 c. 4. Hinc ad eos quoque nobis pergendum est. Augures nomen habent ab *avis*, *gerendoque*, quia per eos avium gestus edicuntur, sive ab *avium garritu*, unde & Augurium. Primi vero Augures a Romulo instituti sunt, quia & ipse Augur fuisse constanter

a Dionysio, Livio, Plutarcho, & aliis asseritur. Fuit quoque ab eo trium Angurum Collegium institutum, ita ut singuli ex singulis tribubus legerentur, quorum sacerdotium deinde confirmavit Numa. Is his tribus Auguribus unum addidit, & IV. Augurum Collegium fecit. Deinde Q. Appulejo Panfa, M. Val. Corvo v. Coss. quatuor Augures fuerunt, Patricii omnes, quibus ut V. ex plebe adderentur, & IX. Augurum Collegium fieret, Q. & Cn. Ogulnii Tribuni plebis ad populum tulerunt, & magnis contentionibus tandem obtinuerunt. Tandem Augurum Collegium Sulla ampliavit, & XV. Augures addidit. Totus igitur Augurum cœtus Collegium dicebatur: qui inter eos major erat, & reliquos ætate anteibat, iisque præterat, Magister Collegii appellabatur. Porro Augurum dignitatem non parum declarat, quod cum cæteris fere omnibus sacerdotibus, simul ac in judicium ducti & damnati essent, alium substitu moris fuisset, Augures hac Lege immunes essent. Dum enim viverent, licet maximum criminum convicti essent, sacerdotio tamen potiebantur, neque unquam privari poterant.

§. VI. Jura Augurum summa fuerunt, & per omnia totius reipublicæ negotia se extenderunt. Nihil enim inauspicato suscipi debebat, unde ab ipsorum Collegio omnia reipublicæ fata dependerunt. Illorum quippe fuit ex avibus vaticinia observare, signaque rerum futurarum, & a Diis monita contemplari; si oportune evolassent, aut sedes idoneas accepissent, nuntiare: de prodigiis, somniis, auguriis, atque oraculis, & portentis responſa dare: tum observationes, auspiciorum procurationes, expiationesque, vatum libros, portentorum explanationes, & monita Deorum edicere: si quid ingruente fato casurum foret, & quod salvis auspiciis fieret. Quodve augurium lætum, quodve peculiare esset, quod minas coelestes ingruentesque calamitates, aut fatale exitium afferret, præmonere, & vaticinari. Magistratus porro, qui jus auspicii habuere, sive quorum cauſa & rogatu augures &

& haruspices consulebantur, fuere vel maiores vel minores. Ex majoribus notandi sunt Consules, Prætores, Censores, Di-  
ctator, Tribuni militum Consulari potestate, Triumviri Co-  
loniarum deducendarum. Legati vero, Pro-Consules & Pro-  
prætores id non habuerunt. Ex magistratibus minoribus  
Tribuni plebis occurrunt, apud quos auspicia locum habue-  
rint, de reliquis nondum constat. Unus vero Magistratus  
alteri obnuntiare poterat, h. e. ipsum impedire, quo minus  
propositum exsequeretur, idque sub prætextu religionis. Por-  
ro illud jus auspiciorum primo soli patricii habuerunt, deinde  
quoque magistratibus plebeis introductis cum plebe commu-  
nicatum fuit. Plura brevitas nostra addere prohibet, præ-  
cipue, quum de jure auspicii elegantem dissertationem edi-  
derit Vir Consult. Jo. Jacobus Mascov, Lipsiae a. 1721. im-  
pressam. Sub finem adjicimus differentiam inter Pontifi-  
cum & Augurum negotia, quam brevibus ostendit Cicero de  
harusp. responsis c. 9. *Statas solemnesque ceremonias pontificatus;*  
*verum bene gerendarum rationes augurio contineri.*

§. VII. Huc quoque pertinet *jus feciale*, cuius memi-  
nit Cicero Offic. lib. 1. c. 2. & Aurelius Victor de Viris illuſtr.  
c. 5. Feciales vero erant Sacerdotes, & peculiare Colle-  
gium habuerunt, ex membris viginti consistens. Jura eo-  
rum haec erant, quod partem aliquam religionis publicæ ha-  
bebant, & fidei publicæ præerant. Nam per hos fiebat, ut  
justum conciperetur bellum, & ut fœdere fides constituere-  
tur, ut ait Varro de L. L. lib. 4. Jus habebant cognoscendi,  
si quis populus diceret, se a Romanis læsum esse, ut ipsi vel  
satisficeret, vel bellum indiceretur. Fœdera poterant vel  
confirmare, vel eadem irrita pronunciare. Disciplina ipso-  
rum, secundum quam pronunciarunt, hodie amissæ est. Ad  
ceremonias quod spectat, veste lanae induiti & verbenis  
coronati ad vicinos mittebantur, vel res suas repetituri, vel  
bellum ipsis indicaturi, quo facto telum sive hasta in agrum  
eorum projectum est. Princeps Collegii fecialium dicebatur

Decimilius Longus min Pa-

Pater patratus. Formula antiqua belli indicendi legitur apud Gellium lib. 16. c. 4. Plura de facialibus dabit Pitiscus Tom. I. p. 767. 768.

## CAPUT VI. DE COMITIIS.

### §. I.

**C**omitia (a coēndo vel comenndo, ut veteres locuti sunt, quod Populus coire his & unum in locum convenire soleret, dicta,) fuerunt conventus Populi, ad feren-dum de aliqua re suffragium. Ille vero, qui non universum Populum, sed partem aliquam adesse jubet, non Comitia sed Concilium edicere potuit. Unde intelligitur Comitia dicta fuisse, quando universus Populus conveniret: Concilia au-tem, quando non universus populus, sed pars tantum ali-qua ejus congregata esset. Neque vero omnes populi con-ventus comitia dicta fuerunt, sed ii tantum, qui ferendorum, vel de creando magistratu, vel sciscenda lege, suffragiorum eaūsa haberetur. Quando vero ludorum, vel census gratia, universus Populus, uti sāpe fiebat, conveniret, comitia non fuerunt.

**§. II.** Species Comitiorum, eorum scilicet, quæ pro-prie sic dicta sunt, fuerunt tres, Curiata, Centuriata, & Tri-buta. Quod Gellius de Comitiis Calatis refert, ea proprium & peculiare genus non efficiunt. Fuerunt enim primum omnia Comitia Calata, dicta a græco verbo καλέω voco, & re-tentum est nomen Calatorum Comitiorum in his tantum, quæ pro Collegio Pontificum habebantur, vel Testamento-rum condendorum cauſa fiebant: idque religionis cuiusdam & antiquitatis ratione.

**§. III.** De Curiatis Comitiis, quod ea omnium prima sint, primo etiam loco dicendum esse arbitror. Fuerunt ergo Curiata Comitia, in quibus Populus curiatim suffragium di-cebat: h. e. in quibus populi per Curias divisi sententia ro-gatur, ut quod plures curiæ statuissent, id jussum Populi esse dice-

diceretur. Causæ, propter quas Comitia Curiata habita; fuerunt primum, quando nondum Centuriata nec Tributa fuerunt, omnia quæ ad Rempublicam perinuerunt. Sic Magistratus iis creati, leges omnes, quæ ad illud usque tempus latæ sunt, & quæ ad judicia spectabant, huc pertinent. Succedente tempore tantum legibus ferendis & Sacerdotibus crean- dis habita sunt. Potestatem convocandi ac habendi Comitia Curiata habuerunt primum Reges, mutata autem Reipu- blicæ forma a Magistribus quibusdam Patriciis, Consulibus, Prætoribus, Dictatoribus, Interregibus, & Pontificibus hæc Comitia indicta sunt. Suffragium his Comitiis tulerunt ci- vies Romani, & quidem ii tantum, qui in urbe habitabant, & in curiis descripti erant.

§. IV. Sicut Curiata Comitia a Curiis, ita Centuriata a Centuriis dicta sunt. Erant igitur Centuriata Comitia, qui- bus Populus per Classum Centurias divisus suffragium fere- bat, ita ut suffragia colligerentur centuriatim, & quod plures Centuriæ jussissent, id ratum haberetur. Fuit autem Centuriatorum Comitorum auctor & institutor Servius Tullius; Ille tria Comitiis Centuriatis peregit, ut puta Magistratus creasse, Leges tulisse, & bellum indixisse. Personæ, quarum interventu Comitia Centuriata peracta sunt, hic tripliciter considerandæ sunt: aliae videlicet, quæ jus habuerunt Comitia Centuriata convocandi, aliae quæ suffragium in iis tulerunt, aliae, quas præter priores his Comitiis adesse oportuit. Jus igitur horum Comitorum habendo- rum fuit penes Magistratus majores tantum, & quidem penes Consules, Prætores, Censores, Dictatores, Interreges, Tribunos militum Consulari potestate, & Décemviros Le- gibus scribendis. Suffragium his Comitiis tulerunt cives in centurias descripti, non tantum qui in Urbe Roma, sed etiam, qui extra Urbem in Italia habitabant, civitate tamen cum jure suffragii donati erant. Præter eas autem, de qui- bus diximus, etiam quasdam alias personas his comitiis in- teresse oportuit, scilicet in comitiis Magistratum, Candidatos:

in genere autem in omnibus, diribitores, rogatores, cu-  
stodes, & præcones. Una ex his centuriis prærogativa dicta  
est, quia aliquam præ aliis in suffragiis ferendis prærogati-  
vam, adeoque singulare aliquod jus habuit. Vide Cicero-  
nem pro Cn. Plancio c. 20. & Varronem rerum humanarum  
lib. 6. apud Festum.

§. V. Tributa Comitia fuerunt, cum non modo per  
Tribus suffragium ferebatur, sed etiam quid plures tribus  
juberent aut vetarent, spectabatur. Caussæ habendorum  
Comitorum Tributorum generales fuerunt quatuor: (1) ad  
creandos minores Magistratus: (2) ad Sacerdotes Collegio-  
rum cooptandos: (3) ad Leges ferendas. (4) Ad Judicium  
exercendum. Comitia tributa habendi Consulibus, Præ-  
toribus, & Tribunis plebis jus fuit. Personæ vero, propter  
quas illa Comitia fuerunt habita, fuerunt extraordinarii Ma-  
gistratus, illis comitiis creandi. Omnibus autem civi-  
bus Romanis, quibus data erat civitas cum jure suffragii, li-  
cebat comitiis Tributis suam dicere sententiam. Et hi non  
solum jus suffragii habuerunt, sed illi etiam, qui non in  
urbe sed extra eam in Italia habitabant, atque etiam Tribu-  
bus, sive regionibus, ipsam urbem circumiacentibus distin-  
cti erant.

§. VI. Totus vero populus Romanus hoc modo lib-  
eram habuit electionem, quam *Jus Populi* vocat Cicero pro  
Cn. Plancio c. 3. quod neminem laudebat, sive dignus electus  
esset, sive indignus, adeo ut hac in parte provocatio sive re-  
stitutio locum non haberet. Confer & alium locum ibid. c 6.

\* \* \*

Erat adhuc animus, de Censu, Ærario, Vectigalibus,  
Publicanis, de Jure belli, Legatorum, & aliis hujusmodi  
tractare, sed quia scriptio nostra jam ultra modum excrevit,  
liceat hic filum abrumpere, donec volente Deo alio tem-  
pore atque occasione locus de his prolixius agendi  
dabitur.

S. D. G.

## COROLLARIA.

I.

**D**ecori regulæ generales statui non possunt.

II.

Ratio est, quia, quæ aliis gentibus decora sunt, ab aliis turpia habentur.

III.

Præcipuæ regulæ sunt hæ : Decorum non debet pugnare contra religionem, contra sanam rationem, contra commodum publicum & privatum.

IV.

Indecorum vulgo habetur, si quis vestes non satis constringerit, quod tamen valetudini est contrarium, adeoque commodo privato repugnat.

V.

Nemo tamen sanus propterea famæ negligens esse debet, sed potius viam medium eligere.



COROLLARIA.

1

Die Roq von iher scheneg alger iros. C

三

*Revolte, dans les plus belles époques tout se passe*

三

L'ouvrage, comme son nom l'indique, est destiné à servir de base à l'enseignement religieux dans les écoles primaires et secondaires. Il a été écrit par un ecclésiastique et un professeur de philosophie, et il a été approuvé par l'Église catholique romaine.

卷之三


三



Thk 300







DISSERTATIO ANTIQUARIA  
De  
**JURE PUBLICO  
REIP. ROMANÆ,**  
Quam  
Sub Auspiciis divinis,  
PRÆSIDE  
**CHRISTIANO SCHOETTGENIO,**  
RECTORE & PROF. PUBL. NEC NON SOCIETA-  
TIS REGIÆ SCIENTIARUM COLLEGA,  
In Auditorio Collegii Groeningiani,

D. 20. Septembr. CIC LCCC XXVI.

Hora X. ante merid.

*tuebitur*  
**BALTHASAR OTTO FLESCHE,**  
Stargardiensis,  
AUCTOR & RESPONDENS.

---

STARGARDIÆ,  
Typis JOHANNIS TILLERI, Typogr. Reg.